



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Dignis tantum Beneficia esse conferenda. 6

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

sanctis Patribus non absque multa ratione fuit, ne quisquam sine certo titulo, qui illi vitium necessarium suppeditaret, ad majores, quos & sacros Ordines vocamus, ordinaretur; adhibita etiam non levi severitate in Episcopos, qui secus facere præsumpsissent. Quæ cum sic se habeant, reformationem ordiri hinc fuerit necesse. Videndum itaque in primis est, ut collationes Ecclesiasticorum Sacerdotiorum seu Beneficiorum, veluti electiones, præsentationes, & institutiones Clericorum ac ministrorum, maxime eorum qui curæ præficiuntur animarum, quæ scientia scientiarum merito appellanda est, rite ac canonicè fiant; utque maximi illi & terribili abusus & vitia, quæ in deligendis personis Ecclesiasticis, non vulgari cum detrimento Ecclesiæ, sæpenumero committuntur, quoad fieri potest, tollantur. Quod tunc demum futurum est, cum, repulsis ac submotis indignis, digni tantum ac idonei admittentur, qui & velint & possint Officium (propter quod Beneficium datur) gerere & explere. Scriptum est enim: Qui non laborat, non manducet.

2 Thess. 3.

CAP. III. *Manum nemini cito imponendam.*

Quamobrem omnibus, qui præficiendi Ecclesiasticis muniis ministros potestatem habent, illa (quam paulo ante retulimus) Paulina admonitio semper ob oculos verfabitur: Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Si enim ad honores mundi, sine suffragio temporis, sine merito laboris, indignum est pervenire, & notari ambitus solent, quos prohibitatis documenta non adjuvant; quam diligens & quam prudens habenda est dispensatio Divinorum munerum & cælestium dignitatum! Certe olim Excommunicatione percellerantur, qui Ecclesiastica Beneficia contulissent indignis.

1 Tim. 5.  
S. Leo. c.  
miramur.  
61. dist.  
Ex Cont.  
Tole.

CAP. IV. *Humani affectus & venalitas in Beneficiis Ecclesiasticis execrabiles.*

Nulla itaque consanguinitatis ratio, nulla propinquitatis contemplatio, facere debet hoc, ut populi gubernatio alii quam meliori tradatur. Cessent omnes affectus humani, qui sua, non quæ Iesu Christi sunt, quærunt. Maxime vero Sacerdotiorum ac Beneficiorum venalitas execranda est, quod, qui sic præficiunt ac præficiuntur, inter ementes & vendentes columbas, quos Dominus flagello, de funiculis facto, è templo ejecit, ac mensas nummulariorum & cathedras vendentium columbas evertit, computentur. Si enim is dignus Sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copia suffragatur, re-

Hieron. in  
Name.  
Philip. 2.

Matth. 21.  
Ioan. 2.  
Marc. 11.  
Luca 19.

stat, ut nihil sibi in Ecclesiasticis honoribus gravitas, nihil sibi defendat indutria, sed totum auri prophanus amor obtineat. Et, cum fides simul & vita in Sacerdotibus & ministris eligenda sit, quæ tandem vita & quæ opera Sacerdotis illius erunt, qui honores tanti Sacramenti, per præmium convincitur obtinere?

CAP. V. *Beneficia Ecclesiastica, priusquam vacent, nemini promittenda.*

Cum olim Conciliari institutione vetitum sit, ne ulla Ecclesiastica ministeria seu Beneficia promittantur alicui priusquam vacent; tum, ne quis mortem proximi, in cuius locum & Beneficium se crediderit successurum, desiderare videatur; tum, quod turpe sit Divinique plenum animadversione iudicii, si locum in Ecclesia Dei futuræ successiois expectatio habeat, quam ipse etiam seculares leges condemnare curarunt; idque vero quum nunc passim præter omnem personarum delectum, designatis etiam ex nomine Beneficiis, in quæ stipulatores successuri sunt, pessimo exemplo fiat: tollendus abusus est, idque non aliter, quam secundum canonicam ordinationem, ne quis sollicitus sit, non tam de Officio, quam de Beneficio viventis.

Ex Con-  
cil. Lat.  
ranensi.

CAP. VI. *Dignis tantum Beneficia esse conferenda.*

Qui Sacerdotia Ecclesiastica pleno (ut ajunt) jure potestatem conferendi habent, alium factæ à se manuum impositionis discusso rem non expectant. Præcipua ergo illis habenda cura est, idque maxime in præficiendis Parochis, ne Apostolici præcepti prævaricatores ac rei fiant. Quis enim non inteligit, quam gravi culpa se obstringat is, qui in causa est, ut cæcus cæco ducatum præstet, nimirum ambobus in foveam delabentibus? Despiciunt (inquit Malachias Propheta) nomen Domini, qui cæcum, qui claudum, qui languidum animal ad immolandum offerunt, & propterea graviter à Domino increpantur. Quis vero cæcum animal offert, nisi qui indoctum in docti locum ordinat, magistrum facit qui vix discipulus esse poterat; claudum vero, qui, lucra terrena quærentem, locat in dignitate, veluti pedem in diversa ponentem? cui potest inferri illud: Usquequo claudicatis in duas partes? languidum denique, qui vitiosum pro Religioso habet, quique tardum & pigrum probat patientem.

Matth.  
15.  
Luca 16.  
Malac. 1.

Hieron. in  
Malach.

3 Reg. 18.

CAP. VII. *Idoneos tantum in Prælatos eligendos esse.*

Sacris Canonibus saluberrime constitutum est, ut omnes Cathedrales Ecclesiæ, Collegia,